



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Simeon Stylita. 5. Januarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

concupiã lux ingens viſa , & voces è cælo auditæ , multum humanã ſuaviores. At nos ſi nunquam has audimus , quid miri obſecro eſt , quando cælo aures claudimus ? *Ex Suario.*

Si tibi ſuggeratur in futurum tempus differre bonum propoſitum , conſurge & dic. Dies Domini ſicut ſur , ita in nocte veniet. Si gula deſeruiens lautiores tibi commendaverit apparatus recalcitra & dic. Non eſt Dei Regnum eſca & potus. S. Petrus Dam. in Pl. 57.

S. SIMEON STYLITA. *J. Ianuarij.*

ERubescit hoc die Ægyptus , cum in tam parvã chartã ſepeliri ſuperbas moles ſuas videt. Quid enim ? ut mortuos ſuos , quã poſſet in cælum extolleret , ſurgere eò velut gloriæ humanæ ſcalas Pyramides juſſit. At tu Lector , vide ſis hoc die illum , qui vivus cælo jam cohabitavit , vivus Pyramides ſibi quatuor poſuit , invidiam non Ægypto modò , ſed orco etiam facturã. Itaque SIMEON opilio primùm , poſt præaltã in rupe monachos inter Angelus vixit. Verùm cum ob mira , quæ maxima ac plurima patrabat , magni undique acceſſus fierent , novo miraculo columnas cœpit habitare , quarum quarta , & quæ ei ultima fuit , alta erat pedes IV. & L. Hic ille ſtare columna ſuã firmior ; dormire , aut conſidere nunquam ; vix adeò unquam quid cibi capere , ea & agere & pati , ut hominem dubitarint ; Regibus denique , ac Imperatoribus , imò orbi ad ſe confluenti vel oraculum eſſe , vel aſylon. Indoluit hoſtis , & dolis , quos domi ſuæ habet , uſus , in flammantem currum non jam SIMEONEM , ſed alterum Eliam invitavit. Nec male profectò ceſſit aſtus. Verùm , cum altero pede jam extenſo , ſacrum Crucis ſignum efformaret.

in ventos scilicet & orbem, non in cælos, cum pessimo aurigâ abivit currus. At SIMEON, ut eadem poenâ & se, & hostem ultum iret, uno, ut erat tum, pede, annum solidum perstitit. Mortuus est deinde anno ab orbe restaurato CDLX. ætatis CIX. atque, ut vicisse scires, etiam post mortem stetit, *Ex Surio.*

Quid anima prodest, hesternum diem transgisse in actione virtutis, si hodie velut desertor desceveris ab opere justitia? Qualem enim te invenero, ait Scriptura, talem te judicabo. S. Basil. in Epist.

S. APOLLINARIS V. 5. Januarij

EVnuchum specta; sed apage illum Parnassi ruborem: hunc, quem dicimus, virginitas dedit, cælum risit, vel, si mavis lacrimas, has quoque affudit cum suis ridenda Venus, Sed nunc argumentum fabulæ habe. Fuit APOLLINARIS altera Anthemii viri Consularis F. alteram dæmon malus infidebat. Illa Christum sponsum cogitabat, at hominem parentes. Quid nî etiam sanctus amor hominum oculos luderet ingeniosus? Abit Ierusalem cum nobilissimorum parentum ventâ APOLLINARIS; comites servulos, ancillas, opes trahit. Redux ex itinere has omnes in egenos spargit, illos manu mittit, uno alterove duntaxat retento. Hos quoque piè fallit, & silvas habitat. jam ubi æstus culicumque morsus corpus animumque durarunt, & formam illam augustam extrinxerunt, prodit è latebris monachum induta, Eunuchum se dicit, Dorotheum apud Macarium nominat. Interea adest soror, & è sorore pellendus dæmon. Pellitur à Dorotheo. Sed redit & præstigiis gravidam filiam Anthemii oculis exhibet, simul parentem Dorotheum mentitur. hic